Seite 6—13: alte Ärzte!

STAPHYLOMATIS NOSOLOGIAE SPECIMEN.

Lane Medical Library

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

AD SUMMOS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE II. M. FEBRUARII A. MDCCCXXII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES FRIDERICUS RIEMANN.

PARTHENOPOLITANUS.

OPPONENTIBUS.

SCHRADER MED. DR.

HOUSSELLE MED. CAND.

BARTHOLOMAEI MED. CAND.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

75

VIRO

LONGE CELEBERRIMO

ILLUSTRISSIMO EXPERIENTISSIMO

DOCTISSIMO

H. KOHLRAUSCH

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTIMIS MEDICIS, IN SUMMO MAGISTRATU RERUM SACRARUM AC MEDICARUM ET INSTITUTIONIS PUBLICAE, ORDINIS CRUCIS FERREAE, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. WLADIMIRI ET REGII HANNOVERANI GUELPHORUM EQUITI, PLURIUMQUE SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

VIRO

DE RE MEDICA MERITISSIMO

PATRONO

SUMMA ANIMI PIETATE

COLENDO

HAS

PRIMITIAS ACADEMICAS

HONORIS VENERATIONISQUE TESTIFICANDI

CAUSSA

OMNI QUA PAR EST OBSERVANTIA

D. D. D.

SE RESQUE SUAS MELIORI COMMENDAT.

AUCTOR.

Lecturis.

Abhinc quinquaginta annos, quo tempore ophthalmologia acriori studio agitari coepit, staphyloma etiam, gravissimus ille et immedicabilis oculorum morbus plurimorum opera medicorum illustratum est, iamque licet nobis, ex ingenti scriptorum penu, quae circa hoc in lucem prodiere, fructus uberrimos colligere. Equidem vehementer delectabar, singulas tam recentiorum quam antiquiorum de staphylomate sententias conferendo, quumque ad summos in medicina et chirurgia honores adspirarem, operae me pretium facturum esse iudicavi, si lucubrationes meas in dissertationis formam redegerim, haudquaquam studio adductus, nova proferendi, quid enim artis medicae tiro sub finem cursus academici novi proferre posset? sed ut legi tantum saluberrimae satisfacerem, quae publicum doctrinae testimonium exhibere medicinae candidatos iubet. Ingenue igitur vobis offero L. B. scriptiunculam hanc qualemcunque, quam ut benevole accipiatis, etiam atque etiam rogo.

Etymologia staphylomatis facile patet, siquidem nomen suum a similitudine acini uvae accepit, quae graece σταφυλή appellatur. Hinc et Latini uvationem vocant, quod acinum uvae aemulatur protuberans cornea vel adhuc integra, vel per eandem pertusam, hiantem prolapsa uveae portio: et quamvis stricte dicendo staphylomatis nomen determinetur ad certam harum protuberantiarum speciem, vel subdivisionem, staphyloma tamen communiter pro genere horum affectuum constituitur, per synecdochen speciei.

Est vero nobis ante omnia constituendum, cui oculorum morbo hoc nomen imposuerint medentes, qui hac de re non plane inter se conveniunt.

Hippocrates, quo loco fortassis huius morbi mentionem facit, non staphyloma adpellat, sed cum vesica comparat. Neque in eorum scriptis, qui ante Celsum artem exercuerunt, vox σάφυλωμα occurrit, ut, cui morbo ea primum imposita fuerit, plane adpareat. Celsus igitur antiquissimus est auctor, apud quem huius morbi descriptio occnrrit. Sed ipsius illius auctoris verba apponere liceat 1): „in ipso autem oculo nonnunquam summa attollitur tunica, sive ruptis intus membranis aliquibus, sive laxatis et similis figura acino fit: unde id staphyloma Graeci vocant.“ Quantus in historia medicinae hiatus ab Hippocrate ad Celsum. Hic tamen cum illo conspirare videtur, quod pariter per summam oculi tunicam intelligit corneam vel scleroticam, quod accusat itidem ruptas intus mem-

1) De re medica lib. VII. cap. 7. art. 11.

branulas, et figuram acino similem fieri tradit, quae parum aut nihil distat a figura cystidis. Corneam attolli, elevari, protuberare supponit, atque sic acini figuram referre, idque sive a ruptis, intus membranis aliquibus, sive laxatis. An hic subintelligendae sunt iris et uvea, quae tamen firmissime connexae sunt et unam constituunt tunicam? An ad tenuissimam lentis crystallinae tunicam oratio illa pertinet? Sit ita! quid tum? Harum vel ruptura vel laxatio, vel etiam hinc facta ad corneae superficiem internam appropinquatio nondum faciunt corneae praeternaturalem protuberantiam, id quod experientia abunde testatur. Quid igitur manifestius, quam quod Celsus per membranas intus vel ruptas vel laxatas intellexerit, ipsas corneae lamellas et plura, quibus arctissime quidem conglutinatis, constat, strata? Quae Hippocrates 1) non modo iam indigitasse videtur, iuxta suspicionem Foësii: Galenus autem 2) diserte affirmavit, et anatomici iamdudum uno confirmaverunt ore. Quaenam tandem lamellae interiores, corneae concavitati propiores, vel rumpantur, vel laxentur, atque sic exteriores minus resistere valeant vi humorum oculi propulsae? Ad hunc sensum forte germana Celsi versio est, quam D. Joh. Koffner Wormiae an. 1539. fol. 103. a. edidit, quae ad hunc modum se ha-

---

1) Hippocrates de carnibus S. 3. p. 253. lim. 10. usque ad 18. et Foësius in not. p. 317. § 48.

2) Galenus de oculis. Edit. Juntar. in Fol. S. 7. p. 910. b. lit. II. et cornea de multis cortic. composita est uno super alium locato. etc.

bet: Aber inwendig in dem Auge erhebt sich zu Zeiten ein Häutlein oberher, nämlich, wenn innen einige Häutlein zerrissen oder leedig geworden und ist einem Weiberling gleich, daher es die Griechen Staphyloma heissen.

Tantum denique abest, ut huic explicationi duplex curationis methodus, quae a Celso in hoc malo describitur, obstet, ut cum eadem, quae nostro tempore adhibetur methodo, egregie conciliari possit. Galenus qui, quae manus curationem postulant, in universum paucis attigit, etsi staphyloma hinc inde nominat, nusquam tamen describit, ita nec claram, nec distinctam staphylomatis ideam ex scriptis suis eruere possimus, quamvis ex Galeni quodam gravissimo loco 1): „qui vero (tumores) staphylomata nominantur, eorum alii saltem positu, alii autem adfectione praeter naturam sunt „interpretari cum Ingrassia 2) nobis liceat: Galenum ad prius genus eos tumores retulisse, qui e cornea distenta proveniunt, ad alterum, quos ulcus fecit, quo summa oculi tunica exesa, adeoque extenuata fuit, ut ab humore aqueo in tumorem, paulatim consurgentem, attollatur. Etiamsi hinc inde et Galenus, quum staphyloma inter eos morbos recenseat, qui a similitudine nomen acceperint, quam cum aliqua externarum rerum habeant, videtur Celsi descriptionem confirmare. Et Aëtius quidem 3), imprimis,

1) Galen de tumoribus p. n. In vers. lat. S. 3. p. 846. §. 14.

2) de tumore praeter uaturam. T. 1. p. 299. Neop. 1553. fol.

3) Aëtius Tetrabibl. 2 Serm. 3 C. 33. 34.

gravis atque de ophthalmiatria bene meritus auctor, illam interpretationem tueri videtur. Etenim staphyloma fieri docet, si summa oculi tunica, quae cum cornu comparetur, in tumorem, acino similem, levetur, sive laxata tantum, sive etiam rupta. Esse tamen etiam addit, qui maiorem uveae procidentiam staphyloma nominent, quae per corneae ruptionem contingat. Ex quibus, quamvis id proprie staphyloma esse manifestum sit, quod Celsus, Galenus aliique tamquam unicum, Aëtius autem priore loco proposuit, et alteram nostri morbi vix admisit speciem, tamen in illa varios distinctos corneae adfectus, qui vel unguis vel leucoma, vel phlyctaena, vel pustula vel aliter vocantur, confudisse videtur. P. Aegineta 1) ita scribit: „Staphyloma quidem est curvatio corneae, relaxatae una cnm uvea, aliquando per fluctionem (i. e. humore aqueo evacuato), aliquando autem per exulcerationem.“ Alibi 2) vero aliter et cum Actuario 3) habet: „Proptosis casus est uveae tunicae, ab erosione sive disruptione corneae proveniens, quae exigua adhuc, ita ut muscae caput referat, myocephalon nuncupatur: aucta vero amplius instar uvae acini, staphyloma dicitur. Ubi vero plurimum succrevit, adeoque egreditur, ut palpebras transiliat, melon: cum denique occalluerit clavus appellatur.“ Ex his autem satis patet, quomodo uter-

---

1) Paul Aegineta L. 6. c. 19.

2) Idem. L. 3. c. 22. p. m. 176. edit. in 800 et p. 436. iu fol.

3) Actuarii, Zacchar. filii, medicus sive de methodo mudendi, L. 2. c. 7. p. m. 183. G. H.

que cum prioribus conveniat, quantum autem et altero loco, ubi staphyloma simpliciter alterum genus uveae procidentiae dictum est, a prima sententia discedat ac erret. Id vero certissimum est, tantum apud plerosque recentiores medicos Pauli Aeginetae auctoritatem valuisse, qui staphyloma simpliciter alterum uveae procidentiae genus adpellavit, ut ad hunc morbum proprie id vocabulum pertinere existimarent. Et fortassis iis, qui et uveae procidentiam staphyloma nominarunt, huius rei occasio data fuit eo, quod apud aliquem ex prioribus medicis obiter legerunt, in staphylomate, quod ruptis membranis enatum sit, uveam interdum per corneam ruptam, in eius nempe sinum, procidere. Itaque Arabum medicorum, Avicennae 1), Mesues, 2) Rhasis 3), Albucasis 4) Iesu Haly 5) testimonia praetermittimus, quod nihil agere videntur aliud, quam ut crambem a Graecis iam appositam recoquant, ideoque nec aliorum post illa tempora autorum, qui staphylomatis fuerint mentionem nomina commntabimus. Quidquid enim Constantinus 6), quem Africanum vocant, Gordonius 7), Valescus 8), Guido 9), Vega 10),

1) Lib. III. fen. III. tr. 2. cap. 6.
2) medic. practical. Lib. III. cap. 12.
3) Lib. IX. ad Almansor. cap. 19.
4) Method. medendi Lib. 2. cap. 21.
5) De oculis tract. II. c. 60. 65. 66.
6) Loc. comment. médic. Lib. IX. cap. 15.
7) Lilium medicum part. III. rubr. 3.
8) Philon. pharmaceut. et chirurg. Lib. II. cap. 17.
9) Chirurg. part. II. cap. 2.
10) Art. medendi Lib. III. sect. 2. cap. 7.

Vidus Vidius 1), Ingrassias 2), Fabricius ab Aquapendente 3) plurimique eius temporis scriptores, quorum nomina recensere supervacuum est, tradiderunt, eodem semper cum Graecorum et P. Aeginetae maxime placitis redit. Recentiorum vero, qui praeterlapso seculo claruerunt, auctores maxime in suis de staphylomate sententiis inter se pugnant, ita ut eorum alii staphyloma retulerint absolute ad genus procidentiae, prolapsae scilicet et prominentis uveae per sauciam, vulneratam, erosam corneam. Hic autem contendunt praecceteris Sebast. Melli 4) Ioh. de Gaertner 5) Zach. Platner 6) et quamvis hic alibi meminerit, corneam quoque malis humoribus emolliri et turgidam effici, talem hanc qualemcunque turgescentiam corneae non accenset staphylomati - et Guil. Coward 7). Alii autem statuunt duas quasi species staphylomatis, quarum altera consistat in sola protuberantia corneae relaxatae et distentae ordinarie absque uveae procidentia in illius sinum; altera in ruptura corneae et trans illam prolap-

1) De curat. membr. Lib. IV. cap. 1.
2) Loc. cit. p. 299.
3) Operät. chirurg. p. 25. ed. pat. 1641. fol.
4) Sebast. Melli pract. chirurg. idiom. Ital. in 8vo. In venet a 1724. P. 7. p. 452. et 455.
5) Chirurg. repurgata. Lugd. Bat. 1742. p. 245. §. 1085.
6) Institut. chirurg. ration. 8. Lips. 1745.
7) Ophthalmiatria, 8. London 1706.

sa uvea: Iac. Guillemeau 1), William Read 2), Woolhousius 3) diserte quidem ad proptosin uveae retulit staphyloma eiusque species, sed et addidit, alteram dari speciem staphylomatis, quando cornea sine erosione et ruptura est relaxata et attenuata, et se attollit et protuberat in forma acini uveae, habens in peripheria basis suae circulum album; Antonius Maitre-Iean 4) et St. Yves 5) exacte cum his conveniunt, praeterea hic addidit novam speciem: Staphyloma scleroticae. Cum his conferendus etiam est Chiron noster germanus Cel. Heister 6) et Duddel 7).

Quae si quis animo attento expenderit, qui olim primi vocabulum σαφύλωμα excogitaverunt, hoc non nisi illi morbo dedisse intelligent, qui in corneae adsimilata tunica in tumorem levata, consistit. Tantum enim valere saltem in morborum nominibus constituendis, Pauli aliorumque prioris aetatis scriptorum

1) Augen und Zähnarzt übers. Dresden 1710. p. 203.

2) accunt of all diseases incident to the eye. 8. London edit. II. c. 13. P. 123.

3) Catalogus 40. Operat. chirurg. in oculis, qui habetur in append. Cent. V. et VI. Ephemer. Nat. curiosor c. 3.

4) Traitè des maladies des yeux. 8. 1711. p. 444.

5) Nouveau traité des maladies des yeux 8. Parisiis 1722.

6) Institut. chirurg. 4. Amstel. 1739. p. 625.

7) Treatise of the diseases of thé horny coat of the eye. London 1729.

auctoritas non debet, ut eos Celso, Galeno atque Aëtio praeferamus, quos certe verosimilius est ex vetutissimorum graecornm scriptis tamquam fontibus, sua hausisse. Paulus Aegineta contra, quem Aëtio priorem fuisse opinabantur, hunc ipsum in quam plurimis locis exscripsit.

Itaque Cl. Günz 1) dicit: „staphylomate aliquem laborare sciendum est, in cuius oculis altera cornea sive tota, sive ex parte, magis quam altera prominet;" paulo post pergit: „staphyloma vero inter hernias referendum esse existimo, cum in eius sinum, ex membranulis corneae vel laxatis vel ruptis ortum, qua subest, aqua irrumpat. Itaque verum taphyloma constituit in sola corneae praeternatuali elevatione et protuberantia, in cuius sinum non isi humor aqueus redundet." Ex quibus, ut ex eius issertationis §. IV. et VI., quamvis Cl. Günz studueit, ut staphylomatis fines ad eosdem Celsi, Galeni, ëtii aliorumque meliorum veterum medicorum conaheret praecipueque a prolapsu iridis separaret, ita imen satis liquet et nostri morbi naturam nondum itis intellexisse ideoque cum aliis satis distinctis moris e. g. hydrophthalmia anteriore et ceratocele condisse.

Mauchartus 2) contra, omnibus de staphylomas opinionibus rite collectis, cuilibet earum singulae

1) Dissert. de staphylomate, Vide delect. dissert. Halleri Vol. I. §. IV.

2) Dissert. de staphyl. Vid. delect. dissert. Halleri V. I.

auctoritate allata, ipsam staphylomatis hanc profert 1):
„Staphyloma est tumor utplurimum mollis membranaceus, extus vel in cornea, vel sclerotica protuberans, ortus sive ex harum tunicarum p. n. attenuatarum elevatione, protrusione ac distensione, per humorem aqueum solum, vel et impulsam uveam: sive ab earundem tunicarum perforatione plenaria et per hanc facta eruptione tunicae uveae: magnitudine, figura, colore, numero, symptomatibus varius: corneam bulbumque ocularium ipsumque visum vario modo laedens destruensque." Dein pergit ipse: „Staphyloma hic accipimus, pro more veterum atque recentiorum per synecdochen speciei, atque sic generali denominatione vocamus staphyloma, quod specialius pro certa saltem specie protuberantiae in cornea sumi solet." Denique plus viginti staphylomatis differentias constituit.

Vehementer dolendum est, hunc virum de ophthalmologia ceteroquin egregie meritum, — plurimas enim morborum oculi descriptiones eius ingenio debemus, — falsa Celsi interpretatione seductum, Pauli Aeginetae exemplum secutum esse. Factum est ita, ut viam Günzio plane contrariam ingrederetur. Parum sane iuvat generales morborum denominationes posthabita eorum natura, a similitudinibus tantum rerum quarundam remotis deducere, unde incredibiles in diagnosi errores oriuntur, quin adeo medici falsa curandi praecepta desumunt. Quam difficile sit, errorem eiusmodi, cuius radices altissimae latent, plane

1) l. c. §. 15.

evellere, staphylomatis historia abunde ostendit.

In libro, Dictionaire universel de medicine 1), staphylomatis voce duae morborum formae comprehenduntur. Altera tumor tantum est et prominentia corneae, altera iride effici dicitur, per corneae foramen prolapsa. Sequuntur deinde variae prolapsus iridis denominationes.

Cel. Janin 2) quemlibet simplicem iridis prolapsum appellat staphyloma, novamque eius speciem describit ex membrana humoris aquei, quae est corneae infima lamella, orientem, vix autem admittendam.

In Encyclopaedia methodica 3) ordinem et concinnitatem in tractatu de staphylomate valde desideramus. Intelligitur per staphyloma et iridis per corneam et chorioideae per scleroticam prolapsus, monetque auctor, ne cum staphylomate corneae excrescentiae confundantur, quae per tumorem vel luxuriationem eius tunicae oriantur.

Bellius 4) adeo incertus est in staphylomatis dignosi, ut modo cum hypopyo, modo cum hydrophthalmo id confundat.

Bernsteinius 5) per staphyloma totale tumorem et elevationem corneae intelligit, quibus illa coni in-

---

1) Dict. univers. de medicine. par James traduit de l'anglois par Diderot etc. Paris 1748 p. 31.

2) Memoires et observations anatomiques, physiol. et phys. sur l'oeil. Lyon et Paris 1732. p. 389.

3) Encyclopédie methodique. Tom. II. Paris 1792. S. 340.

4) Lehrbegriff der Wundarzneikunst. Leipzig 1793. Uebersetzung. — 2te Aufl. 3ter Theil. p. 211.

5) Pract. Handb. f. Wundärzte Thl. 3. Leipz. 1800. S. 588.

star inter palpebras promineat. Varios corneae tumores varie veteres denominaverunt, v. c. myocephalon, quo prolapsam iridem contineri notum est. Circumscriptos scleroticae tumores capituli acus magnitudine scleroticae staphylomata dicunt.

Richterus 1), qui plurima de staphylomate tradidit, iu hoc corneam non modo crassiorem factam, sed etiam obscuratam esse dicit, unde caecitas oriatur. A Leucomate igitur eo tantum differt, quod cornea crassior est. Cameram oculi anteriorem in staphylomate semper in angustius contractam esse proponit, adeoque ex toto evanescere, quoniam cornea saepe etiam intus tumescat. Discissa itaque cornea parum humoris emanare, ipsumque tumorem considere. Proinde erroneam esse eorum opinionem, qui staphylomatis indolem in praeternaturali tantum corneae expansione posuerint: cum ceteroquin semper inflammatio praegressa sit, quae nisi sit resoluta, vel in indurationem abeat, vel partem affectam ceassiorem relinquat. Frequentissimam staphylomatis causam metastaticam post variolas inflammationem esse. Denique staphyloma tale, quo tota cornea correpta sit a partiali discernit, ad hoc vero et solidas corneae excrescentias refert. Seiungit ab his speciebus staphyloma iridis et scleroticae quae dicuntur: illi prolapsus iridis nomen tribuit, hoc carcinomatis oculi prodromum esse existimat.

---

1) In eius observ. chirurg. F. II. c. VII. Goetting. 126. — Anfangsgr. d. Wundarzneikunst, B. 3. p. 166. Wien 1790.

Scarpa 1), Delpechius 2), Callisen 3), Cooperus 4) cum Richtero generatim plane consentiunt. Scarpa quidem Richteri de origine et natura staphylomatis doctrinam nimis generalem esse credit, quoniam nullum inter staphyloma infantum et adultorum discrimen ab eo allatum sit, quod sane gravissimum esse censet, cum in adultis saepe staphylomata observaverit perspicue inter palpebras prominentia, cornea adeo tenuiori vel certe haud crassiori quam naturaliter esse soleat iridemque non modo, sed etiam lentem crystallinam, quin etiam corporis vitrei partem continente: — ipse tamen hoc discrimen inde pendere existimat, quod staphyloma procedente aetate mutationes experiatur, sic ut tandem hydrops ipsaque oculi synchysis superveniat. Coniunctivam tantum corneae, si crassior facta sit, medicum fallere posse arbitratur.

Quaeritur autem, num huiusmodi mutationes ad ipsam staphylomatis naturam pertineant? Quod utique negandum est. Ingenue igitur ipse fatetur Scarpa, Richteri theoriam ceteroquin rectam, tantum eo restringendam esse, quod inveterata staphylomata eademque vehementer prominentia corneam referant aliquan-

---

1) Pract. Abhandl. über d. Augenkrankh., nach der franz. Ausgabe übers. v. Maertens Th. 2. Leipz. 1803. S. 182.

2) Précis élémentaire des malad. reputees chirurg. Paris 1816. T. III. p. 394.

3) Systema chirurg. hod. Edit. IV. T. II. 1817. S. 252.

4) S. Cooper Dictionary of practical Surgery. p. 857.

to tenuiorem 1). Tandem ad staphyloma refert staphylomatosam posterioris scleroticae partis expansionem, quam prope externum latus nervi optici observaverit. De hac vero infra.

Guil. le Febure 2) consentiente Schmalzio 3) Mauchartum plane secutus esse videtur, imo tali vel corneae, vel scleroticae aegritudini, quae haec illave relaxata expansaque protunditur vix, nomen staphylomatis tribuit; contra autem prolapsum iridis per corneae vulnus, vel dum contingat, chorioideae per scleroticae vulnus staphyloma verum vocat.

Spangenbergius 4) cum Wardropio 5) Scarpae tantum sententiam profitetur, credit tamen coniunctivae destructionem necessariam esse conditionem ad formandum corneae staphyloma.

Beatus Beerius experientissimus saeculi nostri ophthalmiater in libro suo 6) veterum divisioni haud repugnavit quidem, postea vero plura expertus sententiam suam mutavit, quam mutationem ipse variis in tractatibus 7) indicavit; denique dilucide morbum hunc

---

1) Scarpa l. c. S. 191.

2) Theor. pr. Abhandl. d. Augenentz. u. d. versch. etc aus dem franz. übers. Frankf. a. M. 1802. §. 67.

3) Dissert. de staphylomate. Jena 1800.

4) Ueber die Entstehung d. Form d. Hornhautstaphyl. S. Horns neues Archiv. f. med. Erf. B. 9. H. 1. S. 45. - 63.

5) Essay on the morbid anatomy of the eye. Vol. I. Edinb. 1808. p. 99. etc.

6) Lehre v. d. Augenkh. Wien 1792. Th. 1. p. 375.

7) Loders Journal f. Chirurgie u. s. w. Bd. 2. St. 3.

explicare adgressus est 1). Staphyloma Beerio quaevis insolita neque ad oculi functionem pertinens, exacte circumscripta prominentia dicitur propriae bulbi tunicae in quacunque huius regione: Expansionem huius prominentiae causam esse, in hac ipsa definitione tradit. Excluduntur itaque tumores quicunque staphylomati similes v. c. coniunctivae, quae inter proprias oculi membranas haud referenda est, tum Ceratocele omnesque protuberantiae, denique omne praeternaturale bulbi incrementum, quale in hydrophthalmo est. Ad formandum quidem staphyloma cohaesione ab altera parte imminuta, ab altera aucta opus est: nihilominus tamen ex auctoris nostri sententia nullum staphyloma fieri potest, nisi his sub conditionibus:

1. Opus est, ut tunica in staphyloma mutanda inflammata sit, ipsam vero inflammationem

2. hypersthenicam esse oportet, qua corneae vel scleroticae cohaesio vel imminuatur, vel prorsus tollatur. Ad quod etiam requiritur, ut vel iris cum cornea, vel choroidea cum sclerotica eo in loco coaluerit, quo staphyloma oriturum est. Eiusmodi coalitus in corneae staphylomate maioris ambitus esse debet, sic ut in toto certe pupillae margine factus sit, quo transitus ab anteriore camera in posteriorem impeditur.

3. Prae ceteris tamen ratio inter secretionem et resorptionem humoris aquei reputanda est: ubicunque

---

p. 433. — Ansicht der staphyl. Metamorph. d. Auges u. s. w. Wien 1805. mit 1 ill. Kupfertafel.

1) Lehre v. d. Augenkrankh. Th. 2. Wien 1817. mit Kupfert. S. 69 u. 210.

enim staphyloma formatur, haec vel prorsus sublata, vel certe tardior quam illa est. Quod quidem ita intelligit auctor noster, ut inflammatio illa, quam primo loco posui, in organa humorem aqueum secernentia, haud transierit, sed haec ipsa secretio illaesa et integra perstiterit. Haec res ad formandum excolendumque staphyloma summi momenti esse dicitur. Quoniam enim humoris aquei secretio in posteriori tantum oculi camera absolvatur, contra resorptio maxima ex parte in anteriori, in cornea videlicet et iride ipsis, deinde etiam vicinis in partibus chorioideae et scleroticae: fieri non potest ex Beerii sententia, quin ille humor colligatur, unde status oculi hydropicus fiat, quo concretae partes sensim et gradatim extensae conice propellantur 1). —

His propositis facile elucet, Beerium a Mauchartí sententia haud multum recedere, cum, neglectis Richteri, Scarpae aliorumque definitionibus, ipse iridis prolapsum ac praeternaturales eosdemque circumscriptos scleroticae tumores ad staphytoma referat 2) neque Ceratocelen, ut sibi tamen videtur, ab hoc discernat. Praeterea ex ipsa eius theoria, cum propulsionem ex penitiori oculo per humorem aqueum staphylomatis causam habeat, facile intelligi potest fal-

1) Beer's Ansicht d. staphyl. Metamorph. d. Auges u. s. w. Wien 1805 u. 6.
Eiusd. Lehre von d. Augenkrankh. 2r. Thl. 1817. S. 69.

2) Eiusd. Ansicht der staphyl. Metamorph. etc.
Eiusd. Lehre v. d. Augenkrankh. Th. 1. §. 412. 418. 592. Th. 2. S. 64.

sis eum opinionibus seductum in veterum errore constitisse, etiamsi a Richtero primum tam egregie illustrato, a Scarpa autem, ut ante propositum est, optime revelato 1). Iam conditiones staphylomatis fientis a Beerio stabilitae neque staphylomati, corneae vero, neque iridis et scleroticae staphylomati, quod falso dicitur, respondent: unde, quod infra magis etiam patebit, diversa eorum staphylomatum natura luculenter apparet. Hoc etïam in causa videtur fuisse, cur Beerius in libro suo 2) prolapsum iridis et Cirsophthalmiam a staphylomate secrevit.

Quo facilius autem probari possit Beerii de staphylomate doctrinam falsam esse, commodum erit ostendere, quam erroneis opinionibus sit superstructa.

Primum facili negotio refutari potest, humorem aqueum in posteriori tantum camera secretum in anteriori resorberi.

St. Yvesius quidem corpus vitreum humoris aquei secretorium organon esse putavit, nullam vero huius sententiae probabilem rationem reddidit. Ribesio 3) auctore inter laminam ciliarem (zonulam zinnii) et coronam ciliarem canaliculi decurrunt, quibus humor vitreus et aqueus in cameram oculi et deducitur et reducitur. Huius autem opinionis argumenta rem probare possunt: Proponit enim in hydropico oculo canaliculos illos, quos nemo vidit, ampliari, humorem vero

---

1) vid. P. 16. etc.

2) Lehre von d. Augenkrankh. Th. II. 1817. S. 62.

3) In J. F. Meckel's d. Archiv f. Physiologie. Bd. 4. S. 531—634.

vitreum ex oculo, nervo optico suspenso, demta cornea his viis emanare. Illud, ut videtur, factum est, quod totus oculus aqua distentus fuit: nam inter ipsam etiam lentem et corpus vitreum aqua largiter effusa reperta est, humor autem vitreus effluxit, quoniam exemta cornea nullum obstaculum aderat. Videtur etiam tunica hyaloïdea pervia esse, siquidem humor contentus fere totus exhalat, corpore vitreo aëri exposito, et vicissim aquae immersus, pondere augetur. Humorem itaque aqueum continuo per arterias exhalantes partium vicinarum, ciliaris praecipue corporis secerni, adhuc probabile est.

Sed et iridis facies anterior secretioni mihi videtur inservire. Quamvis enim anterior oculi camera in foetu a posteriori plane seiuncta sit, ambae tamen humorem aqueum continent, ut contra Edwardium 1) Ribesiumque 2) primum Meckelius 3), deinde Cloquetus 4) evicerunt. Idem Wrisbergius 5) et Littreus 6) observaverunt in membrana pupillari praeter naturam aliquot annos persistente et saepe synechiam posteriorem, atresiam pupillae, synizesin invenimus, nihilominus tamen oculum, aqueo fluido plenum. Quae

1) Ueber einige Theile des Auges. In Meckel's D. Arch. für Physiologie. Bd. 1. H. 1. S. 155.

2) Meckels deutsch. Archiv für Physiologie. Bd. 4. S. 633.

3) Ibid. Bd. 2. S. 136.

4) Meckels D. Archiv. Bd. 4. S. 637.

5) De membranis foetus §. 8.

6) Mémoires de l'ac. des sc. 1707. p. 659.

omnia satis probant et in anteriore oculi camera humorem aqueum secerni.

Caeterum in posteriori camera non modo perinde ut in anteriori, sed magis etiam resorptionem humoris aquei secretionemque absolvi ex rationibus tam anatomicis quam physiologicis intelligitur, si qua analogiae fides habenda est. Quis enim negaverit, ut ceteris in partibus ita in oculo vasa resorbentia sanguifera comitari, quamvis nondum evidenter demonstrata sint: omitto vim resorbendi venarum, quae olim a Swammerdamio, F. Meckelio, Cruikshank observata 1), nuper a Magendie 2), Delille 3), Meyer, Tiedemann 4), Treviranus 5), Prochaska 6) aliisque compluribus in lucem revocata, a Ribesio 7) etiam in corporis ciliaris villis ingeniose probata est. Ne id quidem affero, multas observationes, quae ad defendendam secretionem anteriori in camera innotuerunt, etiam ad resorptionem in posteriori referri posse, saepeque cataractae reliquias in posteriori resorberi, quin adeo depressas lentes plane disparuisse 8). Oporteret praeterea, si in anteriori solummodo camera resorptio absolveretur, si pupilla clausa, vel anterior camera obliterata vel a posteriori separata est, humorem se-

---

1) Halleri Elem. phys. VII. 2) Grundriss d. Phys. a. dem Franz. v. Heusinger. 3) Meckels D. Archiv f. Physiol. Vol. II. f. 2. 4) Horns Arhiv 181. 5) Biologie Pars IV. 6) Lehrs. aus d. Phys. d. Menschen 1820. 7) Meckels D. Archiv. Vol. IV. p. 634.

8) Scarpa l. c. S. 81 etc. — Cooper dictionary of Surgery. p. 236.

cretum indole mutatum esse, quin adeo ex Beerii mente omnis pupillae synizesis staphyloma, hydropem certe camerae posterioris induceret; et contra, in hydrophthalmia posteriore camerae saepe a se invicem separatae essent, quoniam ille maxime ex resorptione imminuta originem suam capit. Experientia earum rerum nihil testatur.

Sin ex propositis abunde patet, humoris aquei et resorptionem et secretionem maxime quidem in posteriori camera, in anteriori vero ex parte tantummodo contingere, prorsus fieri non potest, ut anterioris occlusio, quin ipse corneae et iridis coalitus, (depravatis videlicet faciebus inter se concretis) hydropem oculi inducat, ne hoc quidem, ut simul ipsa humoris aquei in camera posteriori secretio illaesa sit. Gradus enim inflammationis et decursus, constitutio aegrotantis debilis, corneae vis resistendi minor in causa sunt, cur praeter imminutionem anterioris camerae et hydrops et synchysis superveniat, quod quidem plerumque fieri solet, postquam cornea iam pridem staphylomatosa, i. e. opaca, mollis, spongiosa et utrinque tumefacta est, iamque indurescere ac solidescere coepit. 1) Omnes autem mali causae id ipsum praecedant neque tardius appareant necesse est, unde meridiana luce clarius esse arbitror, hydropem haudquaquam staphylomatis conditionem referre. Quam saepe sublata camerarum communione, facta etiam synechia anteriore, nullum tamen staphyloma nullusque hydrops observatur, quam

---

1) Richteri observat. chirurg. l. c. Scarpa l. c. p. 188.

saepe hic morbus sine staphylomate! Denique staphyloma, si in adultis factum est, per aliquod tempus sine synechia anteriore persistit, quae gradatim tantum excolitur inflammatione subinde recrudescente.

His igitur argumentis Beerii theoria plane refutatur, cui si id tandem staphyloma dicitur, quo cornea non modo destructa, rarefacta, mollis omninoque tumida, sed etiam humore sensim et gradatim collecto, ideoqne vi quadam a tergo propulsa et globose distenta est, hoc ipsum tamen ex coalitu corneae cum iride sublataque ambarum camerarum communione fieri nequit, quod ex rationibus ante allatis patere arbitror. Richteri quoque, Scarpae, Beerii ipsius permultae observationes hanc sententiam prorsus infirmant. — Eam vero obiectionem, qua sine synechia anteriore staphyloma ab hydrophthalmia anteriore discerni non posse dicitur, paulo infra pluribus refellere conabor.

Waltherus quidem 1) ad collectum humorem aqueum staphylomatis causam referri non posse existimat, ipse tamen synechiam anteriorem huius morbi conditionem esse credit: hac singularum partium, iridis maxime et corneae proprietates tolli, factaque metamorphosi retrograda oculum ad similitudinem embryonis oculi vel insectorum recedere, in quibus forma polyedrica normalis sit; facile etiam nisum expansivum et substantiae luxuriationem in staphyloma-

---

1) Abhandl. aus d. Geb. d. pr. Med. etc. Landshuth 1816. Bd. 1. S. 81.

tosis observari. — Ut vera sit haec comparatio, quaerere tamen licet, annon sit quodantenus coacta, talisve fabricae humano in embryone 1) et insectorum oculis 2) re vera observetur, quomodo tandem inflammatio, quae certe auctioris vitae indolem prae se fert, metamorphosin eiusmodi retrogradam inducere valeat? Verum quidem est, evolutionis quasdam periodos, imperfectas formas exhibere, animalium persistentibus formis perquam similes, adeoque oculi humani quasdam a norma aberrationes eiusmodi similitudines ostendere 3): haec ipsa tamen doctrina quantumvis ingeniose excogitata, minus exculta est, quam ut talem inde usum capere liceat.

Cum Walthero consentit Beckius 4), qui comparationem tantum illam reiecit, synechiam autem anteriorem staphylomatis conditionem esse existimat. Multum praeterea doctrinae polari tribuit, sic ut rationem inter corneam et iridem polarem turbatam esse credat et humoris aquei exsiccationem, polorum indifferentiae effectum. — Haec vero speciosa sententia simplici observationi staphylomatum sine coalitu affatim refutatur.

---

1) J. G. Brendel de fabrica oculi in foetibns abortivis observata. Goett. 2752.

2) Marc Serres: Mém. sur les yeux comp. et les yeux lisses des insectes etc. Montpell. 1814. 8.

3) F Meckel's Beytr. z. vergl. Anatomie Bd. 2. H. 1. N. 1. Leipz 1811 Eiusd. Handbuch d. Anat. d. menschl. Körp B. 1 S. 51, 94. m.

4) Ueber d. Totalstaphylom der Hornhaut vid. Neuer Chiron v. Textor Bd 1. II. 1. S. 41.

Etiamnum itaque Maucharti sententia, „Staphyloma vexatum nomen affectusque oculi difficilis ac intricatus“ valet. Cur autem Beerii opinioni minus subscripserim satis mihi indicasse videor. Iam hic propriam opinionem quadantenus exposui, maximeque gaudeo, Richterum et Scarpam ad meas stare partes. Experiar tamen, rem paulo dilucidius explicare.

I. Staphyloma.

Staphyloma verum 1). St. corneae clausum opacum 2). St. corn. imperfectum 3). Conophthalmos. 4) St. corneae 5) corneae modo affectum voco, quo huius fabrica vitiata est ipsaque crassior facta et adiaphana tumorem refert circumscriptum neque ipsius fines excedentem.

Quando oculus in ophthalmia vehementi diuturnaque, qua mucus vel lacrymae largius secernuntur, palpebris simul tumefactis, vel fasciis incaute applicatis diu clauditur, cornea adultorum eam veluti naturam recipit, quae infantilis aetatis propria est: emollitur, maceratur, crassescit, minus pellucida fit, sic tamen ut haud prorsus opacetur ipsaque eius textura spongiosa evadat; quodsi processus eiusmodi progressus haud tempestive inhibetur, iniuriis adeo illis usque in oculos agentibus cornea magis magisque turbatur, denique plane adiaphana fit et quasi gelatinosa: oritur

---

1) Günz l. c. — 2) Mauchart l. c. — 3) le Febure l. c.
4) Schmalz l. c. — 5) Richter, Scarpa, Beer l. c.

staphyloma servata ceteroquin corneae continuitate, sic ut neque ulcus penetrans factum sit, neque corneae lamellae extenuentur. Haec omnia eo citius contingunt, quo quis aetati infantili propior, quoque debilior fuerit, etenim corrodentibus lacrymis, vel muco acriori, vel suppuratione superficiaria diutius persistente corneae coniunctiva ex parte totove ambitu destruitur atque resolvitur: corneae indumentum exasperatur, in floccos abit, denique singulis locis, vel ex toto evanescit. His sub conditionibus cornea vel ex parte vel ex toto turbatur, indeque staphyloma vel partiale vel totale efficitur.

Staphyloma totale his cognoscitur signis:

Protinus atque coniunctiva destructa est, cornea opaca invenitur, colore griseo - coeruleo, aequaliter crassa, sic, ut normalem ambitum et intus et externa in facie excedere videatur. Ita interna corneae facies, imminuta camera anteriore, iridi appropinquat, vel illa ex toto obliteratur, quod in infantibus maxime promtum, in quibus persistente inflammatione atque in iridem propagata, vel synechia anterior oritur, quae in adultis iam modo rarius supervenit. Plerumque tamen iris his sub conditionibus colorem alienum induit, pupilla angustior facta distrahitur aut plane clauditur. Interim per corneam mollem, ac veluti maceratam iris transparet, unde color ille caeruleus, quem recentibus in staphylomatis observare licet. Oculus vero praegressa inflammatione debilitatus lucem refugit, multum illacrymatur, glandulae Meibomianae plus secernunt, quin ipsa scleroticae coniunctiva inflammatione laborat, catarrhali persimili

palpelrae oedema contrahunt, vel saltem erysipelatosa inflammatione tentantur. Cernendi facultatem his sub conditionibus plane exstingui per se intelligitur. Gradatim dein nimia oculi incitabilitas cum symptomatibus inde pendentibus evanescit, spongiosa corneae textura aëre et luce usque agentibus in solidam rigidamque transformatur, simul illa albescit ac prorsus opaca aliquam cartilaginis similitudinem refert.

Internae etiam oculi partes ab inflammatione illa diuturna, asthenica detrimentum capere debent, imminuta interim vi corneae resistendi: unde fieri solet, ut secretionis ac resorptionis ratio turbetur, ita quidem, ut hac valde imminuta hydrops oriatur, quin adeo ipsa oculi synchysis superveniat. Quod si minus factum, vel secretio pariter atque resorptio imminuta est, staphyloma haud amplius increscens per annos sine molestia fertur.

Alias nova morbi periodus incipit, qua staphyloma penitus ampliatum atque propulsum grandescit. Interim cornea tam imperfecte nutritur, ut tantum non demoriatur, simulque internum humoris impetum tam parum ferre possit, ut expansa ac extenuata propellatur, interea sclerotica prorsus sana humoribus resistit: unde fit, ut laborans cornea vel sphaericam vel conicam formam recipiat, prout vel aequaliter vel in centro suo fortius propellitur. 1)

---

1) Beer l. c. Th. 2. S. 210. S. 211. Aliam staphylomatis conici speciem describit rariorem, si (ceteris sub conditionibus) synechia posteriore staphyloma medium retinetur, interea autem eiusdem solummodo peripheria humore aqueo collecto expanditur.

Ipsum staphyloma modo celerius et evidenter, modo tardius grandescit, saepe ad certum tantummodo ambitum extenditur, ultra quam non excedit, quandoque autem tumor adeo increscit, ut palpebris tegi iam non possit adeoque rumpatur 1). Quae magna incrementi diversitas partim a vehementia noxarum persistentium, partim a constitutione aegrotantis, nec minus a resistendi facultate, quae in cornea superest atque ab hydropis progressibus pendet.

Iam staphylomate adeo propulso, ut inter palpebras promineat, nova symptomatum series exoritur. Staphyloma lacrymis et muco haud amplius humectatum siccescit variisque aëris iniuriis, pulveri usque expositum perpetuo a ciliis teritur ac vellicatur unde saepe palpebras, imprimis inferiorem propellit, ectropium parit. Continenti irritatione externa corneae iam ligamentosa facies sensim et pedetentim inflammatur, inflammatione etiam ad scleroticae coniunctivam transeunte, indolescit oculus vehementer, apparetque vasculorum reticulum ab scleroticae coniunctiva exortum, in cornea enim coniunctiva iam initio destructa est, sic ut nulla vasculorum vestigia reperiantur. 1) Reticulum illud valde crassescit, induratur superque corneam propagatum in staphylomate vehementes dolores affert, iris vix et ne vix quidem transparet, denique staphyloma carcinomatis naturam induit.

---

1) ibidem S 212 Wardrop vid. Rus't Magaz. f. d. ges. Heilkunde Bd. 3. S. 462. 463.

2) Wardrop l. c.

Omnes oculi inflammationes inducere staphyloma possunt, maxime tamen variolosa, deinde scrofulosa, rarius syphilitica, gonorrhoica neque solum dyscrasicae, sed etiam quaecunque diuturniores sunt vel neglectae, male curatae, inter quas praecipue eminet ophthalmia neonatorum 1). In universum reputanda est:

1. primum corneae ad staphyloma dispositio, quae in tenerioribus infantibus naturalis esse solet, in adultis autem omni cachexia inducitur.

2. Deinde inflammatio descriptae indolis ac decursus, qua demum corneae coniunctiva amittitur: quae conditiones si minus incedant, staphyloma formari nequit.

Mutationes autem, quas procedente tempore staphyloma experitur, partim a genere et gradu vitii in cornea exculti dependent, partim ab aliis, qui, cum staphylomati simul exorti, in corneam affligunt, partim ab accessoriis quibusdam conditionibus, v. c. variis dyscrasiae generibus ac irritamentis quibusdam tam chemicis quam mechanicis.

S t a p h y l o m a   p a r t i a l e eandem atque t o t a l e indolem refert, tantum ambitu ab hoc diversum. Servatur quoque in hoc aliqua cernendi facultas, tota denique prognosis haud adeo iniqua est.

Solummodo igitur morbus modo descriptus, quo cornea eminenter alienata deformataque est, staphylomatis nomen meretur. Ceteri oculorum morbi iniuria sic appellantur, indole enim a staphylomate vehementer differunt, quamvis formae subinde similitudine cum

---

1) Beer l. c.

eo conveniant, quae tamen nomina eiusmodi praescribere non potest. Qua de causa et definitione supra a me proposita excluduntur, nonnullique eorum a medicinae patribus, alii a recentioribus convenientius sunt denominati.

Hos protinus describam, prius autem corneae macularum mentionem faciam, quas etiamsi raro, quandoque tamen cum staphylomate confundunt.

Maculae corneae.

Maculas corneae in specie variam appellamus huius tunicae aberrationem a statu normali pelluciditatis, eamque ordinario plus minus albidam, magis minusve diffusam, quam maxime sine substantiae ipsius laesione vel incrassatione. Non prominent, neque corneae dimensiones mutatas, neque lamellas penitus alienatas referunt, ut potius exsudatam tantum inter illas materiam praebeant albuminosam praegressa leviori inflammatione: quoinde cum staphylomate vix confundi possunt, dummodo a macula margaritacea recesseris. — Haec autem margarita maiorem eiusmodi et albuginis quidem intensiorem gradum, indeque aliquam difficultatem exhibet. Attendamus igitur ad dignoscendi momenta (secundum Beerium 1):

1. Staphyloma partiale duas vel tres lineas ad minimum in diametrum patet, contra margarita nunquam plus sesquilinea in diametrum extenditur,

2. Illud ex albido-griseum vel coeruleum, marga-

---

1) l. c.

rita vero albidissima est vel etiam splendescit, ut mater perlarum.

3. In staphylomate coniunctiva vel dissoluta, vel, ut alio loco narravi, miro modo vitiata, contra in margarita fere plane redintegrata est.

4. In illo iris frequentissime cum cornea coaluit, in margaritacea macula vix unquam eiusmodi coalitus observatur, vel si factus est, tamen anterior camera vix et ne vix quidem diminuta.

5. Denique in staphylomate part. conicam cornea formam refert, in margarita ipsa solummodo macula haud multum prominet, reliqua cornea prorsus illaesa et convenienter formata.

II. Staphylomata spuria.

I. Hyperceratosis (ὑπερκερατωσις) 1) Staphyloma pellucidum conicum 2). Conical formed cornea. 3)

Hic morbus ab incremento totius corneae morboso incipit, absque inflammatione vel obscuratione, ple-

1) K. Himly Bibliothek für Ophthalmologie u. s. w. Bd. 1. et 2. S. 401.

2) Leveillé Traité sur les malad. des yeux, traduit de l'Italien de Scarpa Tom. II. p. 179. Note *). — Arthur Edmonston Treatise on the varieties and consequences of ophthalmia Edinb. 1806.

3) I. Wardrop Essays on the morbid anatomy of the human eye. Edinb. 1808. p. 117. — Sir Will. Adams v. Iournal of sciences and Arts N. 4. — James Wares Chirurgie. observ. relat. to the eye 2 Edit. 2 Volum. London 1805. Vid. Rundensche

rumque centrum corneae crassescit unaque myopia ingruit cum incremento corneae gradatim augescens. Eiusmodi staphyloma tarde grandescit, gradatim tamen usque dum cornea ex toto conica facta sit: quam si ex adverso intuearis, mirum quendam splendorem velut crystalli animadvertes, nisi coni apex subopacus est et diplopia vel polyopia comitatur, ut quandoque fieri consuevit; a latere facile observari potest, corneae crassitiem ab ambitu ad centrum gradatim augeri, in centro autem coni apex esse solet. Examen eiusmodi clariore in luce institui debet. Hyperceratoseos autem diagnosis tam certa et facilis est, ut aliis cum morbis confundi nequeat. Myopia procedente morbo tanta evadit, ut minora corpora nullo modo, maiora vero ex intervallo tantum quatuor pedum cernere aeger possit.

Plerumque altero in oculo malum incipit, in altero subsequitur, nec ulla vel aetas vel constitutio ab eo immunis est, infantes tantum hoc tentari non videntur. Observationes certae, quae exstant, in aegrotis ab anno aetatis decimo sexto ad septuagesimum usque institutae sunt, iuniores ac mulieres hyperceratosi frequentius laborare videntur 1). Crebrius etiam is morbus apud Anglos et Franco-Gallos observatus est, rarius in Germania; nemo enim medicorum a Mau-

---

Uebers. S. 61. — Lyall on staphyl. pellucid conicum. in Edinb. med. and. surg. Iournal. Vol. VII. p. 6. 14.
A. P. Demours maladies des yeux. Paris. 1818. T. I. pag. 316. p. 57. fig. I. — Tom. II. p. 480. 431.

1) Wardrop. l. c.

charto ad Beerium usque aegrotorum eiusmodi mentionem fecit.

Opinio a plerisque recepta, qua conica corneae orma vehementi huius propulsione imputatur, ab im-nodica humoris aquei secretione effecta 1), reiicienda st. Ex paracentesi saltem oculi incassum adhibita huic opinioni videlicet respondente) facile intelligitur, umoris aquei copiam vix auctam indeque istum coni ausam esse non posse; praeterea cornea tantum abest, t augescente humore aqueo extenuetur, ut potius rassescat; tum iris normalis, idque ad hydrophthal-num collatum rarissimum est; deinde in hyperceratosi isus mire alienatus est, quam certe aberrationem mi-ime ex aucto humore aqueo explicare licet, tam ex-ua frangendi facultate instructo, ut tantam inde myo-iam explicare non audeat quicunque physicis leviter intum imbutus est. Haec vero frangendi facultas a rnea crassiori et conice progressa augetur, cuius vis rmali lentis frangendi facultati superaddita, mirum lud symptoma inducit: cuius rei argumento gravissimo t, quod aegrotantes illi myopiae levamentum ab usu trorum concavorum percipiunt, convexa autem visum agis etiam perturbant, deinde quod lentis extractio luberrimum constantissimumque effectum praebet. 2)

Iam inde perspicitur, quam parum staphyloma-s nomen huic morbo conveniat, etenim cornea et xtura et mixtioni sua prorsus immutata atque pel-cida est, forma tantum aberrat ac mole luxuriat, iris

) Lyall. l. c.

) Adams l. c.

nullo modo est vitiata, camera oculi anterior non co- arctatc. Ceterum id genus morbi minime perinde u staphyloma verum oritur, nec ullae conditiones in eo adsunt, quas huic subesse propositum est, inflamma- tionis ne vestigium quidem reperitur, tumor ipse nul- lam plane acini similitudinem et re vera indolem pe- culiarem refert.

Inde Wardropius nomine conical formed cornea utitur, Himly vero Hyperceratosin il- lud dicit, quae quidem convenientissima morbi deno- minatio est, dummodo nihil aliud nisi simplex corneae adsit luxuria.

2. Ceratocele.

Hernia corneae 1) Prolapsus corneae, Uvatio Staphyloma pellucidum partiale. 2)

In inflammatione corneae, suppuratione ulceribusve corneae superficiariis, maxime scrofulosis in corpori- bus, vel etiam post vulnera contusa, in quibus inte- riores lamellae illaesae perstiterunt, ipsis etiam in vul- neribus penetrantibus, si interiores lamellae celerius quam externae redintegratae sunt: quandoque fit, u illae ab interioribus oculi partibus, maxime autem a humore aqueo propellantur. Propulsae formam exhi- bent vesiculae semipellucidae super bulbi ambitum magis minusve prominentis. Quodsi tener huiusmodi sacculus rumpitur, quod eo tantum animadverti potest quod sparso humore aqueo cornea subito suffunditur

1) Beer l. c. Bd. 1. §. 596. T. 2. F. 2. u. Ad. 2. §. 5
2) Mauchart l. c.

anteriorque oculi camera obliteratur, iris illabi et adhaerescere consuevit, quam Keratocelen complicatam 1) dicunt. Fieri etiam iridis prolapsus potest, quando haec latiori foraminulo comprehenditur.

3. Prolapsus corporis vitrei 2)

Cum Ceratocele haud confundendus, iam staphylomatis pellucidi partialis, iam prolapsus tunicae humoris aquei (Chûte de la tunique de l'humeur aqueuse 3), i. e. tunicae Descemeti nomine obvenit.

Vesicula in hoc pellucida et tenerrima membranula ex ulcere vel vulnere corneae penetrante prominet, similiter atque iris prolapsa. Tumorem vero prominentem nec ab internis corneae lamellis, nec membrana Descemeti, qua posterior facies inducitur, formari, his probatur argumentis:

1. Observatur is prolapsus maxime in cataractae extractione, ubi Descemeti membrana descissa est.

2. Omnibus in locis corneae oritur, membranula autem illa cum cornea tam arcte cohaeret, ut ad marginem scleroticae, quae cum cornea huc committitur, nullo prorsus modo detrahi possit.

3. Saepe hunc morbum offert prolapsae iridis excisio.

4. Rescisso autem tumore pellucido, plerumque aliquantum humoris effluit, neque tamen anterior camera vacuatur.

5. Morbus post operationem eiusmodi subinde

---

1) Beer l. c. Bd. 1. §. 596. T. III. F. 4.

2) Scarpa l. c. Th. II. S. 51.

3) Ianin l. c.

recrudescit, quod fieri non posse intelligitur, si membranula Descemeti contineret, facile autem ex corpore hyaloideo iterum iterumque prolapsus explicari potest.

Concussiones totius corporis, nec minus contractiones bulbi spasticae oculo vulnerato, hoc genus prolapsus frequentissime excitant.

4. Prolapsus iridis 1)

Staphyloma iridis, Staphyloma racemosum 2) Staph. corn. perfect. 3) Hernia s. Procidentia s. Ptosis iridis. 4)

Humore aqueo vel inter operationes, vel ex vulnere profuso iris saepe in corneae foramen se implicat, vel ab humoribus antrorsum propellentibus corneae agglutinata ac vulneri vehementius impulsa prolabitur. Ita tumor quidam exiguus in cornea exsurgit eiusdem ac iridis alterius oculi coloris, ad basin limbo obscuriori circumdatus, pupilla versus vulnus distracta. Simulatque iris propellitur, aeger dolorem persentiscit, quasi acus oculo infixa sit isque constringatur; inflammantur palpebrae et bulbi coniunctiva, illacrymantur oculi ac lucem vehementer refugiunt. Quae omnia ex nervosa et vasculosa iridis fabrica facile explicari pos-

1) Richter's Lehrbegriff der Wundarzneyk. T. III. p. 395. — Scarpa l. c. T. II. p. 25. — Beer l. c. B. I. §. 402. 518. 595. 2) P. Aegineta. l. c. - Mauchart l. c. — Beer's Ansicht d. staphyl. Metarmorph. d. A. — Beer Lehre v. d. Augenkrankh. B. II. S. 64. T. I. F. I. 3) Le Febure l. c. 4) Galen de different. morb. Cl. III. Cap. XIII. —

sunt, nec mirum, quod iride perpetuo a palpebris trita atque aëre, lacrymis ac lemis valde irritata, aggesto interim sanguine tumor admodum increscat, quo dolorem augeri perspicuum est, angustum enim vulnus tumefactam iridem eo magis constringit. Saepe tamen morbus exiguus est, nulli superveniunt dolores, neque graviora symptomata, sic ut aegri, praeter alienatum visum nullam fere molestiam percipiant. 1)

Prolapsus iridis diagnosis expedita est, morbus enim oculis facile patet. Ipse inveteratus prolapsus haud difficulter cognoscitur, dummodo ad haec attendamus.

1. Observatur alicubi in cornea tumor nodosus, convexus, qui tamen iridis colorem iam non refert, sed albidus est superinducta coniunctiva.

2) Hic tumor circulo albido modo angustiori, modo latiori circumdatus est, quem cicatricem esse iridis et corneae inter se coalitarum patet.

3) Pupilla tumorem versus magis minusve distracta est, haud raro clausa, plerumque angustior, sic ut exiguam solummodo rimam referat. Auctore Beerio polapsus iridis recentes, quamdiu opacum colorem servant et elastici sunt, cavi reperiuntur, incisi vel puncti sanguinem largiter fundunt; inveterati contra iam non elastici, albidique in massam magis minusve solidam fereque anorganicam degeneraverunt, et incisi parum aut nihil sanguinis fundunt.

Ipse prolapsus plerumque simplex est, cornea simplici vulnere patente, quo iris comprehenditur.

---

1) Scarpa l. c. Th. II. p. 40.

Simplex eiusmodi prolapsus pro ambitu, colore formaque diversa nomina accepit: Myocephalon dicitur, si ambitu et forma culicis capitulum aemulatur; quodsi solida albidaque coniunctiva opertus, duris palpebrisve compressus vel per se diffusus est nec adeo eminet Clavus, Hilon, Hellos dicitur. Denique si tantam in molem accrevit, ut vix eum palpebrae tueantur, rarior forma est quam Melon appellant. 1)

Fit interdum, ut cornea variis in locis perforata iris simul per omnia prolabatur, quem prolapsum multiplicem dicere convenit 2), iniuria autem staphyloma racemosum a quibusdam dictum est.

Quomodo Beerius 3) id nomen recipere potuerit, quod in singularem morbum restrinxerunt optimi veterum medicorum, — cum iam Galenus multiplicem eiusmodi prolapsum procidentiam dixerit quam denominationem a plerisque servatam video ophthalmologis, maxime a Günzio, Richtero, Scarpa, vix intelligere possum, nisi forte multiplicem prolapsum indole a simplici differre aliquis dixerit: videtur tantum vir excellentissimus similitudine quadam fortuita seductus esse. Poterit etiam prolapsus iridis racemosus vocari, si hanc similitudinem indicare velis. Prolapsum iridis inducunt vulnera vel ulcera corneae penetrantia cum concussione totius corporis vel bulbi valida, v. c. a tussi, sternutatione

---

1) P. Aegineta l. c.

2) Galen l. c. — Scarpa l. c. p. 38.

3) Beer l. c. B. II. p. 64 T. I. F. 1.

vomitu spasticis oculi contractionibus, quibus humor aqueus effunditur.

Idem de prolapsu chorioideae valet, rariori norbo. Scarpa 1), auctore post inflammationem oculi am externam, quam internam vehementiorem eandemque remediis supprimentibus male curatam, abcessus inter coniunctivam et scleroticam formabatur, ntervallo duarum a cornea linearum in inferiore anerioreque bulbi parte. Rupto hoc abscessu lympha iscida crassior effusa est unaque in sclerotricae ulcere orpusculum exigium animadvertebatur ab illapsa choioidea evidenter formatum.

Lapidis infernalis usu sanatum est, pupilla autem ehementer distracta ac cernendi facultas admodum nminuta perstitit.

5. Hydrophthalmia anterior.

ydrops camerae anterioris, liquoris aquei, Staphyloma pellucidum sphaericum 2).

Nomen morbi indolem clare indicat: humore aueo in anteriore oculi camera morbose aucto cornea ormalem quidem ambitum excedit adeoque vehemenr extenditur, sed plane pellucida persistat et immuta ceteroquin textura, extenuata potius est, quam assior facta. Anterior itaque camera ampliari obseratur, pupilla simul dilatata et iride quadantenus reopulsa, aeger molestam oculi tensionem conqueritur,

---

) Scarpa l. c. B. II, S. 58.

) Mauchart l. c.

initio presbyopiam laborat, deinde amblyopiam contrahit amauroticam.

Quae omnia morbi diagnosin satis certam reddunt ipsumque discrimen a staphylomate vero aque hyperkeratosi tuentur. Est etiam magna in causis differentia: proxima hydrophtalmiae causa, ut in ceteris hydropis generibus, in perversa inter secretionem et resorptionem ratione posita est, unde fit humor aqueus praeter naturam augeatur. Praeterea hydrophthalmia plerumque morbi totius corporis tantum symptoma est; causa occasionalis vehementes concussiones esse solent, nec minus inflammationes penitioris oculi lentae et diuturnae, exanthemata et impetigines repercussae, sudores pedum suppressi aliaque talia.

6. Cirsophthalmia 1)

s. Varicositas universalis bulbi. Staphyloma scleroticae veterum. 2)

Per staphyloma scleroticae vulgo oculi morbum intelligunt, quo sclerotica singulis locis tumefacta colorem refert atrum, quo bulbus proprium adspectum, si vis etiam horridum praebet. Simul durus est, conicus, ambitu evidenter adaucto, sic ut palpebris vix operiri possit, quod album in oculo est, sordidum fit, caerulescit ac pene livescit, coniunctiva cum sclerotica vasculis varicosis atrum sanguinem vehentibus intertexta est. In hac autem tumores illi animadvertuntur, quae lentis vel nucis avellanae magnitudinem referunt.

---

1) Beer l. c. B. II. S. 247.

2) St. Yves nouveau traité des maladies des yeux. 8. Parisiis 1722. — Scarpa l. c. B. II. S. 191.

Cornea pellucida est, splendore tamen amisso, vel etiam opaca et staphylomatosa, iris omni facultate motrice destituta, ceterique bulbi motus retardantur, pupilla nisi per inflammationem aliquam occlusa, est dilatata, angulosa ac interius suffusa. Oculum his sub conditionibus plane obcaecatum esse facile perspicitur, ipse lucis sensus extinctus est, quamvis variorum colorum veluti fulgura oculum subinde perstringunt. Id genus oculi adtingendi non sunt, ita enim per longissimum tempus immutati persistunt, haud increscunt amplius tumores ac reliquae molestiae adsueto ab oculo facile feruntur, etiamsi bulbus tabe demum consumitur. Sin autem iniuriae quae in illas egerint, vulnera v. c. contusiones aliaeve tales, malum evidenter in deterius vertitur, rumpuntur varices vel totus etiam bulbus, adeoque carcinoma et mors supervenit.

Multi huius morbi causam ex chorioideae cum sclerotica coalitu indeque facto hydrope repetendam esse existimarunt, perinde ut in staphylomate per errorem statuerunt. 1) Ipsa vero sententia et in hoc morbo falsa videtur esse. Existimaverim potius praegressa inflammatione vel traumatica vel dyscrasica varices maxime in chorioideae his partibus, quae eminenter laboraverunt, factos esse, Hinc sclerotica sensim et gradatim primum vero ex parte solummodo extenuatur, dum iisdem causis corporis vitrei hydrops ipsaque synchysis excolitur, quo scleroticae loca praeceteris mollia et relaxata intrinsecus pressa et distenta in tumores denique elevantur. Cum sclerotica simul chorioidea et retina praesertim tandem extenuantur, Ita tantum explicari posse arbitror, quae in vivis observata sectionibus confirmantur: Corpus vi-

1) Yves, Mauchartus, Beer's Ansicht d. staphyl. etc.

treum in aquam limpidam transmutatum invenerunt, le-
tem crystallinam flavidam atque perspicuam; in region
tumoris retina prorsus deficiente, chorioidea tenuior era
colore destituta et vasis vorticosis, alias varicosa et ob-
curior; sclerotica instar chartae scriptoriae extenuata ob
servata est 1).

Hinc illud malum et staphyloma verum se morb
diversae omnino naturae praebere indeque illi multo m
gis cirsophthalmiae nomen quam staphylomatis co
venire liquet. Ceterum cavendum est, ne colliculi qu
dam in sclerotica nigri, qui incipiens oculi carcino
praenunciant, cum cirsophthalmia confundantur Hic
decursum prioris morbi attendendum est, maxime
dolores pungentes ac vellicantes, praeterea tumores
exigui sunt ac formam referunt racemosam.

Et haec hactenus. Quod bona voluntati commentar
olum lectoribus obtuli, bona mente id accipiant in v
tis est.

---

1) Scarpa, l c

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Joannes Fridericus Riemann natus sum 'arthenopoli A. MDCCXCVIII d. XVII Martii pare Andrea, coriario et matre Joanna, e gente Rentzıanniana. Patrem carissimum mors heu! praematura ıihi vix annos quinque nato matremque dilectissimam bhinc biennio eripuit, quam maxime doleo. Sollicite uravit mater, ut primis rudimentis disciplinarum linuarumque comparätis octavo aetatis anno gymnasium eleberrimum, quod Parthenopoli directore Ill. Funkio orebat, adire possem, ubi litteris bonisque artibus eruitus sum. Dein auspiciis Cel. Naumanni pharmacoolae Magdeburgici artem medicamenta conficiendi comonendique didici. Peracto autém examine initio semess aestivi MDCCCXVII ad almam Fridericianam alensem me contuli, ut medicinae studio incumbem, ibique a Cel. Maass, academiae fasces tunc tempos tenente, die XI Maii in civium academicorum numeım receptus sum. Ibi per quatuor annos horum viroım interfui lectionibus: Cel. Maass de logice, mathesi

et psychologia, Cel. Sprengel de encyclopaediä medica nec minus de botanice, pharmacologia arteque formulas medicas conscribendi, Cel. Kastner de physice, de encycplopaedia omnium disciplinarum naturalium et chemia theoretica, Cel. Düffer de chemia experimentali, Osteologiam et medicinam forensem Cel. A. Meckel, anatomiam tam universam quam pathologicam Cel. F. Meckel mihi tradiderunt; eodem Viro Cel. in physiologia cum anatomia comparata, nec minus in arte cadavera dissecandi praeceptore gavisus sum. Cel. Schreeger chemia forensi et zoochemia, Cel. Nitzsch zoologia et entozoologia me instituerunt. Cel. autem Krukenberg pathologiam et therapiam tam generales quam speciales me edocuit. Cel. Dzondi ad discendam chirurgiam nec minus doctrinam de oculorum morbis deque fasciis applicandis me adducendum curavit. Cel. Niemeyer artem obstetriciam debeo; denique per annum et sex menses clinicum medicum Cel. Krukenberg, per annum clinicum chirurgicum et ophthalmiatricum Ill. Weinholdii et Cel. Dzondi, nec minus institutum reg. obstetricium Cel. Niemeyer frequentavi.

Mense Maio anni praeterlapsi hanc almam litterariam universitatem petii, atque a Cel. Lichtenstein t. t. Prorectore eiusdem civibus adscriptus institutionibus akiurgicis tam theoreticis quam practicis Ill. Rust et Cel. Kluge, nec non Exp. Jüngken unaque clinicum medicum Ill. Berends et Ill. Neumann et chirurgicum Ill. Graefe et Ill. Rust, nec minus Exp. Jüngken clinicum ophthalmologicum ea qua par est assiduitate frequentavi.

Tentamine iam et examine rigoroso rite absolutis dissertationem hancce conscripsi, qua publice defensa gratiosum medicorum ordinem rogo, ut summos in medicina et chirurgia honores in me conferat.

THESES DEFENDENDAE.

I

Praeter sanguinem ex arteriolis traditum aliae xistere debent venosi sanguinis scaturigines.

II

Liquor amnii foetus nutritionem modo iuvat.

III

Angina membranacea et Asthma Millari omnino inter se differunt,

9(16)